



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 67. Quos actus includat Prouidentia: & vtrum principaliter, & in recto importet actum intellectus, vel actum voluntatis, vel vtrumque æquè principaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

re, & sic disponere, adeoque Deus, sicut sua prouidentia posuit aliquas causas secundas, easque sic disposuit, vt suos effectus producerent necessario, sic causas liberas ita posuit, & disposuit, vt quoddam effectus producerent liberè.

18. Ad 5. nego minorem. Deus ita prouidet immediatè omnibus effectibus, vt ad quosdam producendos vtatur etiam causis secundis, & earum prouidentia. Nec sequitur causas secundas, & earum prouidentiam esse frustraneam. Nam hoc ipsum spectat, & conducit ad ordinem vniuersi, vt causae secundae participant à Deo primò agente, & prouidente hoc, quod est agere, & prouidere ijs, quae ad ipsas spectant.

19. Ad 6. distingo maiorem: ad dignitatem supremi Principis habentis capacitatem finitam spectat, vt non omnibus prouideat immediatè, sed quibusdam prouideat solum mediatè per ministros, concedo; habentis capacitatem infinitam, nego: & nego consequentiam. Ad dignitatem supremi Principis, qui propter suam capacitatem finitam non potest omnibus immediatè prouidere, spectat, vt solum rebus maioris momenti prouideat immediatè, rebus autem minoris momenti prouideat solum mediatè per ministros; sed Deus habet capacitatem infinitam, per quam ita potest immediatè prouidere minimis, vt non defatigetur, neque auertatur à cura maiorum; ergo debet ita vti ministris, vt omnibus immediatè prouideat. Intellectui etiam finitae capacitatis melius est quædam vilia nescire, quam scire, ne impediatur à scientia digniorum. At diuino intellectui habenti infinitam capacitatem melius est scire omnia etiam vilissima, ac non solum in vniuersali, sed etiam in singulari, & in indiuiduo. Apostolus dicens: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Solum significat Deum non habere curam bouum ratione ipsorum, sed gratia hominum, ad quos ordinantur.

20. Ad 7. nego maiorem. Deus reliquit hominem in manu consilij sui, ita vt sinat illos liberè facere quod volunt, sed non ita, vt abiecerit eorum prouidentiam, qua regit eos præceptis, & consilijs, & terret minis poenarum, allicit propositiōe præmiorum, prouidet, & permittit mala, quae faciunt, mouet, & impellit ad actus bonos per auxilia gratiae &c. Ad confirmationem nego antecedens, ac dico, quod sicut Deus ita immediatè prouidet causis necessarijs, vt faciat eas agere necessario, sic ita prouidet immediatè causis liberis, vt faciat eas agere liberè, vt magis explicabitur infra quæst. 83. 84. 85. & 86. in quibus ex professo agitur de concordia libertatis creatæ cum diuina scientia, voluntate, prouidentia, & prædestinatione.

QVÆSTIO LXVII.

Quos actus includat prouidentia, & vtrum principaliter, et in recto importet actum intellectus, vel actum voluntatis, vel vtrumque aequè principaliter?

1. Primò videtur prouidentia consistere solum in actu intellectus, non autem in actu voluntatis. Definitur enim: *Ratio ordinans res ad suos fines*; sed ratio est actus intellectus, non autem voluntatis; ergo.

2. Secundò videtur non posse explicari, in quo actu intellectus consistat. In Deo enim datur triplex actus scientiae, nimirum scientia simplicis intelligentiae, scientia visionis, & scientia media; sed non potest explicari, vtrum prouidentia consistat in omnibus his scientijs, vel solum in aliqua ex his; ergo &c.

3. Tertiò videtur neque etiam posse explicari, in quo actu voluntatis consistat, an in intentione finis, vel in electione mediorum.

4. Respondeo, quod quandoquidem ex dictis quæst. 64. num. 8. prouidentia est: *Ratio ordinans res ad suos fines per media convenientia*, includit intentionem finis, electionem mediorum, & rationem ordinantem res ad fines per media electa; e.g. prouidentia, per quam Deus ordinat mundum ad finem diuinæ gloriæ, includit intentionem diuinæ gloriæ, electionem mundi, & ordinis rerum tamquam mediorum ad Deum glorificandum, & rationem, qua Deus ordinat mundum ad finem diuinæ gloriæ. Cum autem in Deo detur triplex scientia, seu cognitio, nimirum scientia simplicis intelligentiae, scientia media, & scientia visionis, dubitatur, in quam ex istis tribus scientijs consistat illa ratio, per quam Deus ordinat res ad suos fines.

5. Prima sententia docet rationem, per quam Deus ordinat res ad suos fines, esse scientiam simplicis intelligentiae, & mediam, per quas Deus dirigitur ad intendendum finem, & eligenda media.

6. Secunda plurium Thomistarum docet hanc rationem esse iudicium medium inter intentionem finis, & electionem mediorum, per quod Deus, intento fine, iudicat, quae media sint eligenda, & dirigitur ad electionem mediorum.

7. Tertia, quam sequuntur Ruiz de Prædestinatione disput. 1. sect. 6. & Granado in primam partem tract. 3. disput. 3. docet hanc rationem consistere in iudicio, quo Deus, intento fine, & electis medijs, cognoscit, & intimit voluntati executionem mediorum, quorum facta est electio. Hoc autem iudicium vocant imperium monarchicum.

8. Di-

8. Dicendum primò contra secundam sententiam: in Deo non datur iudicium medium inter intentionem finis, & electionem mediorum, adeoque ratio, per quam Deus ordinat res ad suos fines, non consistit in tali iudicio. Probatur: nam vt dicitur in quæst. 69. Deus eodem actu indiuisibili intendit finem, & eligit media; ergo non datur iudicium, quod mediet inter intentionem finis, & electionem mediorum, cum intentio, & electio nullo pacto distinguantur.

9. Dicendum secundo: Deus eodem actu, quo intendit finem, & eligit media, cognoscit etiam se intendere finem, & eligere media, ac debere procedere ad executionem eorum, quæ decreuit, adeoque intimat sibi ipsi suam electionem, & convenientiam, ac necessitatem, exequendi quæ decreuit.

10. Probatur, & explicatur: nam sicut Deus eodem actu necessario vult esse se, & omnes veritates necessarias, & simul cognoscit comprehensiuè esse se, & omnes veritates necessarias, itaut nulla detur distinctio intrinseca ne virtualis quidem inter volitionem, & cognitionem necessariam, vt dictum est quæst. 22. sic proportionaliter Deus eodem actu libero intendit finem, & eligit media, & cognoscit comprehensiuè per scientiam visionis existere hanc suam voluntatem, affirmando quæ cum illa identificantur: sed cum hac voluntate diuina intendente finem, & eligente media, identificatur convenientia exequendi quæ Deus decreuit; ergo eodem actu cognoscit etiam hanc convenientiam; sed eo ipso, quod Deus cognoscit se habere hanc voluntatem, & conueniens esse illam exequi, intimat sibi hanc voluntatem, & convenientiam illam exequendi; ergo &c.

11. Dicendum tertio: cognitio, qua Deus intimat sibi ipsi voluntatem electiuam mediorum, & convenientiam illa exequendi, est causa executionis, ideoque est practica respectu executionis mediorum. Probatur: nam talis cognitio identificatur omnino cum voluntate electiuam mediorum; sed voluntas, seu volitio electiuam mediorum est causa actionum ad extra, in quibus consistit executio, per quam Deus exequitur media; ergo cognitio identificata cum volitione est causa talium actionum, adeoque practica respectu executionis.

12. His positis, quæ spectant ad quæstionem de re, supersunt duæ quæstiones de nomine, ideoque breuiter explicandæ. Primò quæritur, vtrum cum dicitur, quod prouidentia est ratio, per quam Deus ordinat res ad suos fines, debeat intelligi, quod sit ratio dirigens ad electionem mediorum, & intentionem finis, quæ ratio consistit in scientia simplicis intelligentiæ, & scientia media, an potius debeat intelligi, quod sit ratio identificata cum ipsamet volitione intentionis finis, & electiuam mediorum, quæ ratio est scientia vi-

sionis. Duo sunt modi loquendi. Primus docet prouidentiam esse rationem, quæ dirigendo Deum ad intentionem finis, & electionem mediorum, ordinat res ad suos fines, adeoque prouidentiam consistere in scientia simplicis intelligentiæ, & media. Secundus docet prouidentiam esse rationem, qua Deus videndo suam voluntatem, qua intendit finem, & eligit media, causat executionem, & sic ordinat res ad suos fines per media electa; & quia hæc ratio, qua Deus videt suam voluntatem liberam, est scientia visionis, docet prouidentiam consistere formaliter in scientia visionis, licet supponat scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam.

13. Vterque modus loquendi est probabilis, & primus est communior inter recentiores, secundus videtur communior inter antiquos, & conformior Sancto Augustino, S. Thomæ, & Aristoteli. Sanctus enim Augustinus prædestinationem, hoc est prouidentiam, qua Deus ordinat electos ad finem vitæ æternæ, definit præscientiam, & præparationem, beneficiorum Dei; sed præscientia est scientia visionis; ergo censet rationem, qua Deus ordinat electos ad finem vitæ æternæ, consistere in scientia visionis. Sanctus Thom. 1. part. quæst. 22. art. 1. ad 1. dicit: *Prouidentia est in intellectu, sed supponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit*; & hanc doctrinam confirmat ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 12; sed scientia supponens, vel includens voluntatem finis, est visionis; ergo &c.

14. Secundo quæritur, vtrum prouidentia principaliter, & in recto importet actum intellectus, vel potius actum voluntatis, vel vtrumque aequè principaliter?

15. Respondeo prouidentiam posse ita sumi, vt dicatur ratio cum voluntate, vel vt dicatur voluntas cum ratione, vel vt dicatur voluntas, & ratio. Si sumatur primo modo, ratio importatur in recto, voluntas in obliquo; si sumatur secundo modo, voluntas importatur in recto, ratio in obliquo; si sumatur tertio modo, tum ratio, tum voluntas importatur in recto. Sanctus Augustinus definiens prædestinationem per hoc, quod sit præscientia, & præparatio, hoc est voluntas præparatiua, illam sumpsit ita, vt in recto importetur tum præscientia, tum voluntas, & hic modus sumendi videtur commodior ad explicandam prædestinationis definitionem.

16. Ad 1. Prouidentia definitur: *Ratio ordinans res ad suos fines*; sed ratio constituitur ordinans res ad suos fines per intentionem finis, & electionem mediorum; ergo prouidentia ultra actum intellectus, seu rationis, includit saltem in obliquo actum voluntatis.

17. Ad 2. & 3. iam num. 11. explicatum est, in quo actu intellectus prouidentia consistat:

stat. Dictum est etiam, quod includit tum intentionem finis, tum electionem medi-
orum.

QVÆSTIO LXVIII.

*Utrum Deus ad omnia sua decreta libera diri-
gatur à tota scientia Deo non libera?*

1. **V**idetur, quod Deus non ad omnia sua decreta libera debeat dirigi à tota scientia Deo non libera. Aliqua enim scientia omnino impertinenter se habet ad quædam decernenda: ex. gr. ad decernendum creare, vel non creare muscam A. impertinenter se habet scientia mediæ, qua Deus videt, quid liberum arbitrium Petri sit futurum, si poneretur in his, vel illis circumstantiis; sed Deus ad obiecta decernenda non debet dirigi à scientia, quæ omnino impertinenter se habet ad decernenda talia obiecta; ergo Deus ad decernendum creare, vel non creare muscam A. non debet dirigi à scientia mediæ, qua videt, quid liberum arbitrium Petri esset futurum, si poneretur in his, vel illis circumstantiis, ac proinde non ad omnia decreta debet dirigi à tota scientia sibi non libera. Ex proportionali ratione ad decretum, quo prædestinavit S. Petrum, Deus non debuit dirigi à scientia mediæ, qua vidit, quod si Turca poneretur in talibus circumstantiis liberè saltaret, cum talis scientia sit omnino impertinens ad decernendam prædestinationem Sancti Petri.

2. Respondeo, quod quia ex dictis quæstione 67. num. 4. diuina providentia ad sua decreta libera, quibus res ordinat ad suos fines, dirigitur à scientia, examinandum est, utrum ad omnia sua decreta libera dirigatur à tota scientia, quam habet; & quia Deus habet tum scientiam simplicis intelligentiæ, & mediæ Deo liberam, tum scientiam visionis Deo liberam, debemus hac quæstione examinare, utrum ad omnia sua decreta libera dirigatur à tota scientia non libera.

3. Dicendum: Deus ad omnia sua decreta libera dirigitur à tota scientia Deo non libera; & quia non solum tota scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam tota scientia mediæ est Deo non libera, ut suppono ex quæst. 45. & 46. de scientia mediæ, ideo Deus ad omnia sua decreta dirigitur à tota scientia simplicis intelligentiæ, & à tota scientia mediæ.

4. Probat: nam qui habet aliquam cognitionem, qua dirigi potest ad sapientissimè decernendum, eaque non vitur, imprudenter operatur; sed Deus habet scientiam simplicis intelligentiæ, ac mediæ, eaque potest uti ad quodlibet sapientissimè decernendum; ergo ad quodlibet decernendum vitur, ac dirigitur à tota scientia simplicis intelligentiæ, & mediæ. Probat, & explicatur minor. Ut Deus sapienter decernat creare muscam ex. gr.

debet dirigi cognitione, qua comprehensivè cognoscat omnes vsus, ad quos potest ordinare muscam in cunctis casibus possibilibus, & in omnibus euentibus, qui darentur, si quodlibet arbitrium liberum posset in his, vel illis circumstantiis, faceret hoc, aut illud; e. g. debet dirigi cognitione, qua cognoscit, quod possit uti musca ad puniendam duritiem Pharaonis, qui si poneretur in his circumstantiis, nollet obedire Deo per Moysen præcipienti, ut sineret Israelitas discedere ab Ægypto: sed cognitio, qua Deus cognoscit, ad quos vsus possit adhibere muscam pro omnibus casibus possibilibus, includit totam scientiam simplicis intelligentiæ omnium casuum possibilium: cognitio, qua cognoscit, quo pacto possit adhibere muscam pro omnibus euentibus, qui de facto ponerentur dependenter à quolibet libero arbitrio constituto in hoc, vel in illo actu proximo, includit totam scientiam mediæ; ergo Deus ad sapientissimè decernendam creationem muscæ debet dirigi à tota scientia simplicis intelligentiæ, & à tota scientia mediæ. A fortiori ad sapientissimè decernendam permissionem peccati Adæ, Incarnationem Verbi &c. debet dirigi à tota scientia simplicis intelligentiæ, & mediæ, per quas cognoscat, quo pacto possit uti peccato Adæ, Incarnatione &c. pro omnibus casibus possibilibus, & conditionatè futuris dependenter à quolibet arbitrio creato.

5. Ad argumentum in contrarium nego antecedens. Offensum enim est nullam scientiam Deo non liberam impertinenter se habere ad vllum obiectum sapientissimè decernendum.

QVÆSTIO LXIX.

Utrum Deus omnia, quæ decernit, in eodem signo, & eodem decreto indivisibili decernat?

1. **V**idetur Deus non omnia, quæ decernit, in eodem signo, & per idem decretum decernere, sed aliqua decernere in signo priori, aliqua in signo posteriori, puta in primo signo eligere finem, in posteriori modum &c. primo quia, ut arguit Scotus in 3. dist. 29. Qui ordinatè vult, prius vult finem, quam modum, & ex mediis prius vult modum propinquiora fini; sed Deus omnia vult ordinatissimè; ergo prius vult finem, deinde modum, ex. gr. prius vult Sanctum Petrum, & alios prædestinatos salvari, deinde vult illis dare modum, siue auxilia efficacia, per quæ infallibiliter saluentur.

2. Secundò intentio finis debet mouere ad intentionem mediorum: ex. gr. intentio, qua Deus vult Sanctum Petrum, & prædestinatos salvari, debet Deum mouere ad danda Sancto Petro, & prædestinatis modum, & auxilia.